DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
*DE*

# Vomitoriis Medicamentis.

*QUAM,*
FAVENTE DEO OPT. MAX.
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*
D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th.
Doctoris, Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Eccleſiaſticæ Profeſſ. Primarii,
Eccleſiaſtæ diſertiſſimi, Acad. Bibliothecarii,
NECNON
*Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu,*
*& Almæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
rite & legitimè conſequendis,
*Publico examini ſubjicit*
ANDREAS BRAKE, Bremenſis, Saxo.
*Ad diem 15 Decembr. horis locoque ſolitis.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCII.

# DEO
# PATRIÆ
ET
# AMICIS.

Se Haſceque Theſes

Offert Dedicat

ANDREAS BRAKE.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

# DISPUTATIO MEDICA
# INAUGURALIS
## *DE*
# Vomitoriis Medicamentis.

## THESIS I.

Dicturo mihi, Deo Auxiliante, de Emeticis ſeu Vomitoriis Medicamentis, congruum videtur exordiri à *modo*, quo ipſe *Vomitus* fiat, quo bene perſpecto via tantò erit planior, Vomitoria illa eorumque naturam plenius inſpiciendi. Non autem hîc erit diſquirendum (ceu aliàs circa alias excretiones diſquiri ſolet) quâ ratione Vomitus fiat in ſtatu naturali, cùm naturaliter Vomere non debeamus, licèt aliquando Ventriculus ſarcinâ ſibi moleſtâ ſpontaneo Vomitu ſe liberare, niſu utut ſæpius inſufficienti, inutilive annitatur.

II.

Sicuti in Purgatione in ſpecie ſic dictâ, ſeu per inferiora, humores per unum continuantem membranarum tractum à ven-

triculo ad extremum uſque inteſtini *recti* finem deferuntur & excernuntur, ſic & in Emeſi, inverſo tamen modo, per eandem membranarum continuationem à ventriculo junctóque ipſi Oeſophago ad Pharyngem & Os evehuntur, ita ut Vomitum jure dixeris Motum ventriculi annexique Oeſophagi convulſivum quò ea quæ ipſi creant moleſtiam, emovere ſurſum conatur.

III.

Pro hujus motus modo per ſectiones indagando curioſiores deprehenderunt initium ejus fieri in Pyloro, dum is ſe contrahere incipit contractionem continuante primùm toto ventriculo, hinc ſuperiore ejus parte tandem toto Oeſophago uſque dum per fauces & Pharyngem ex ore fiat eliminatio.

IV.

Utut autem, ſi quibuſdam ita aſſerentibus credendum ſit, motus illius initium etiam obſervatum fuerit in duodeno, ipſoque aliquando Ventriculi medio & fortè etiam alibi, dum fortaſſis cauſa aliqua ſingularis illi ſpecialiter loco moleſta, initium contractionis inibi procurat, ordinariè tamen & utplurimum à Pyloro contractionem illam incipere veritati magis conſentaneum videtur.

V.

Contractio hæc peragitur mediantibus Ventriculi fibris, quas habet copioſas, tam circulares quàm rectas, tam muſculoſas ſeu fibroſas, quàm nerveas, quibus quoad omnes dimenſiones coarctatur & contenta ſurſum adigit; præprimis autem Pylorus totâ fibrarum nervearum circularium congerie, quam ideo circulum nerveum dicunt, dotatus eſt, unde etiam aliis Ventriculi locis eſt longè ſenſibilior & in motu ſuo contractivo fortior, concurrente tamen impetuoſo aliquo ſpirituum animalium influxu, qui vel abſque præſente cauſa quadam irritante ſubinde ſolus ſufficit Vomitioni, ex imaginatione ſolâ commovendæ.

VI.

Stratâ, ſic per Vomitus conſiderationem viâ tranſimus ad *Vomitoriorum ipſorum in genere* conſiderationem, ubi potiſſimum occurrit eorum *Subſtantia* (quâ ſcilicet talis ventriculo motus ſurſum concilietur, ut moleſtam ſibi ſarcinam exonerare laboret) & ex ea emergens operandi modus.

VII. Ean-

Eaſdem ſcilicet *partes* conſtituentes agnoſcunt ἄνω purgantia ſeu Emetica cum κάτω purgantibus, dum utraque irritant & evacuant. Unde nullum datur Emeticum, quod non etiam per inferiora, nullum Catharcticum, quod non etiam per ſuperiora agere valeat. Differunt enim ſolummodo gradu & diverſitate acrimoniæ ſalino ſulphureæ inexiſtentis & irritantis volatilioris vel fixioris, cùm, quantò majoris energiæ ſtimulantis & haud dubiè invertendi & alterandi humores vim habentis, aliquod medicamentum eſt tantò citius etiam eandem exſequatur ſive id fiat fermentatione quadam citiore, ſeu præcipitatione & ſolutione. Eluceſſcit hinc, dejectoriis fortiora eſſe Emetica, citiuſque, cæteris tamen paribus operari, idque ſæpè numero in mole valdè exiguä. Valde enim vehementer particulis ſuis rigidis & acutis illa fodicant & pungunt interiorem ventriculi tunicam, è quibus fodicationibus puncturiſve, præcipuè circa Pylorum, ad motum convulſivum irritatur, unde Vomitio. Irritationis hujus vehementia evidenter ſubinde pateſcit, cùm ſub Vomitorii aſſumtione aliquantillum ejus circa fauces reſtitat, quàm ſenſibilis moleſtia, quandoque notabilem faucium Phlogoſin & ruborem cum dolore conjunctum poſt ſe trahens hinc exoriatur. Loquor autem hîc de propriè dictis Vomitoriis. Dici enim talia nequeunt de Vomitoriis impropriè ſic dictis: ſeu mole, ſeu copià, ſeu fluctuatione, ſimilive quodam modo Ventriculum gravantibus & ad ſui excluſionem impellentibus; v.g. quando pennâ vel digito faucibus immiſſo membrana, Ventriculo & faucibus communis tacta laceſcitur, ſicquè per conſenſum contractione continuatâ Vomitio ſequitur; quando oleum, butyrumve liquatum, Ventriculo jam tum nauſeoſa, cum aquâ cereviſiàve tenui, copioſâ tepidâ dilutâ (quò & ſpectant juſcula valdè pinguia pro aſſumtorum Vomitoriorum promotione aſſumi etiam ſolita) fluctuatione ſuâ Ventriculum ad Vomitum diſponunt, quibus tamen adhuc prævalet aqua communis tepida, ſale communi impraegnata. Boreales Hollandi & Friſii Ruſtici adhuc præferunt muriam pinguem fœtidam in ſuis butyri doliis exinanitis remanentem, quam pro pleno & felici, aliis licèt irritis, Vomitorio domeſtico propinant, tanquam fœtore pingui nauſeam, aquâ (vehiculum ſufficiens ſi aſſumatur) flu-

ctuationem, Sale inexiſtente irritationem, excitante, Doſinque illius muriæ cochlearibus certis metiri queunt juxta perſonas aliamque rei exigentiam.

V I I I.

Licèt autem Vomitoria dicta vera Ventriculum *primariò* afficiant, ſecundariò tamen & per conſenſum iiſdem irritatur & convulſivè movetur totum Duodenum, tanquam Pyloro continuum, ad jejuni uſque principium. Hæc Duodeni vellicatio & convulſio ſecum involvit ductus cholidochi & Pancreatici concuſſionem & vellicationem, qui à continuata Duodeni ſtricturâ leviter etiam conſtricti uberius tum ſua etiam contenta id eſt bilem & pancreaticam lympham per Pylorum in Ventriculum ſimul eliminanda, eructant, id quod plerumque poſt unam alteramve habitam vomitionem contingit, unde etiam tam demum Vomitorium propinatum munere ſuo probe defunctum eſſe, & ſaburram profundius ſitam eduxiſſe judicatur, quando ſub Vomituum finem ſola fermè biliosa, flava, viridia, variegata, amara & acida, extruduntur ſubinde in adeò notabili quantitate, quæ negat, omnia in Ventriculo præexſtitiſſe, ſed ex illis ductibus, violento illo conſtrictionis motu, in Ventriculum etiam regurgitaſſe credi debet; ut nil dicam de notabili humorum ad Venticulum motus ſenſu, quem inter vomendum Vomentes quandoque percipiunt.

I X.

Obſervatur itidem ſub motu Vomitorio à talibus Vomitoriis excitato, imprimis laborioſiore, alius adhuc ſimul contingens *Secundarius* convulſivus motus, *thoracis* nimirum ejuſquè præcipuè coſtarum, quæ quàm fortiter conſtringantur, doloris in intercoſtalibus locis, potiſſimùm inferioribus ubi fibræ faciliùs contrahuntur, inter & poſt Vomitiones ſenſus, de quo Ægri conqueruntur abunde edocet. Sicut & ſimilis muſculorum in abdomine, qui ſub iſto vomendi conatu etiam inſigniter contrahuntur & convelluntur, dolor ſatis notabilis Vomentibus percipitur, ut & ipſius Diaphragmatis, quod tum ſimul cum thorace validè ſuccutitur, ob nervorum paris vagi cum nervo intercoſtali conſenſum, cùm id ipſum duos inſigniores ſurculos ad ventriculum ejuſque præcipuè orificium ſuperius, dimittat, hicque variis plexibus cum intercoſtalibus jungatur, ſicque thoracis

racis contractionem inſigniter adjuvet, unde nervus interco- ſtalis fortiùs agitatus convulſùſque junctis ſibi partibus ſimilem conciliat motum. Conſpirat huc ſuperioris Ventriculi orificii cum Diaphragmate contactus, cui varia in morbis ſymptomata Ventriculo & Diaphragmati communia, debentur.

X.

Ex præcedentibus clariſſimè elucet magna Emeticorum præ κάτω purgantibus prærogativa & utilitas, dum valido ſuo impetu & conatu, rectâ brevi ſuâ viâ ſurſum, unicâ ſuâ doſi, unico tempore, etiam abſque præviâ accuratâ inciſione, ab ipſis fontibus largiùs ea contenta exprimunt, evacuantque, quæ Catharctica aut intacta relinquunt, aut non niſi repetitis doſibus, vicibuſque & parcius emovent. Catharctica enim fermè ſolummodò contenta inteſtinorum evocare, Ventriculum autem valdè parum irritare ſolent, cùm contrà ab Emeticorum longè ultra ſe exporrigente energiâ non modò viſcida & difficillimè loco mobilia, contenta ventriculi, ſed & vicinarum partium, Duodeni, imò Hepatis & Pancreatis & Bronchiorum Pulmonis, vitioſa elidantur.

X I.

Patet hinc inſuper inanis utplurimum & multiplici nomine noxius, ſubinde Medicorum, ſubinde Ægrorum in Vomitoriis adhibendis timor, quo bene agendi tempus negligitur, ob unius alteriusve horulæ Vomitionum tædia, vitam continuè miſeram, aut ſæpè recidivantibus morbis, iisve conſimilibus, obnoxiam feliciori & conſtantiori, brevi comparabili, ſanitati ſæpiùs præferentium, nec conſiderantium per generoſa Remedia, generoſas fieri Curationes.

X I I.

Emeticorum Subſtantia, & ex hinc emergente operationis modo, quadantenus deducto ad *uſum* eorundem animum & calamum converto qui ſanè in *Morbis* feliciter curandis vel etiam præcavendis valdè latus & multiplex eſt, è cujus inexhauſto fonte ſequentia duntaxat delibaſſe ſufficiat.

X I I I.

Siquidem in Ventriculo & primis viis fermè omnium; aut ſaltem plerorumque morborum radix hæreat, Vomitoriaque præ omnibus aliis Medicamentis efficacius radicem illam eradicare

va-

valeant, aut ad minimum cauſæ peccantis fomitem augmentumque mature ſubtrahendo incrementum morborum, etiam ſubinde à primis viis longè diſſitorum, præcaveant, non poſſunt non ampliſſimo ſuo uſu & emolumento in ancipitibus etiam morbis ſeipſa reddere commendabilia, ſive id fiat *intentione primariâ* per primarum viarum evacuationem, ſeu *ſecundariâ* per Capitis, Pectoris, Abdominis, contentorumque viſcerum, imò totius ferè nervoſi generis, à violento Vomitionis motu, concuſſionem.

X I V.

Multi *Morbi* fiant chronici ob Emeticorum neglectum & jam facti feliciter curari nequeunt, niſi medela à Vomitorio, in progreſſu data occaſione repetendo, inchoata, cùm ſedes eorum plerumque circa primas hæreat vias, in Pancreate Meſenterio Liene aliiſque; quod ipſum etiam obtinet in qualibet, tam Maſculi quàm ſequioris ſexus Cachexiâ, Ictero tam flavo, quàm nigro, Malo hypochondriaco, Scorbuto, Chloroſi, Hydrope (ſi Vomitus in eo velit ſuccedere & media corporis regio eum adhuc concedat) & aliis. Sic & *Febrium intermittentium* Cura, quantum fieri poteſt ab Emtico eſt incipienda, eoque ſubinde, ſeu ante, ſeu in, ſeu poſt Paroxyſmum, prout res Ægri fert, repetito, quem ſpontaneus Ventriculi conatus ipſe, præcipuè in quartana, ſæpè ſatis indicat; in quartana tantæ eſt neceſſitatis, ut abſque eo vix tutò; aut perfectè cures. In *Morborum acutorum*, *Febriumque continuarum*, *tam benignarum*, *quàm malignarum*; *& Petechialium* principio, Vomitorium morbi vehementiam notabiliter infringit, ut ad minimum dein, ſi evadere nihilominus nequeant, totus morbi decurſus minus ſit jactabundus & inquietus quod verſatiſſimorum Practicorum Obſervationibus abundè edoctum eſt: quod ipſum etiam locum habet in morbis malignis, ab inſpirato per halitum contagio ortis, & hinc etiam in ipſa *Peſte*, antequam Carbunculi Buboneſve ſeſe manifeſtaverint, item Philtris propinatis, Lipothymiis, à fortuita venenatorum, loco alimentorum aſſumtione e. g. eſu fungorum venenatorum, vel etiam à Gas carbonum, cellarum vinariarum vel cereviſiariarum &c. Conferunt porrò apprimè *in variis Capitis affectibus* e. g. in *Dolore Capitis*, præcipuè ſi is per conſenſum Ventriculi, noxam aliquam paſſi, fuerit exortus; *in*

*Ver-*

*Vertigine*, *Incubo* ob eandem cauſam cæteris nihilominus paribus. Eſſentiale Capitis vitium prodere ſæpè videntur varii generis *Deliria tam Melancholica*, *quàm Maniaca*, cùm tamen hypochondriaca ſequantur pathemata ut plurimùm, requiruntque medendi principium à Vomitu, tam pro evacuandis ſaburrâ primis viis, quàm pro concutiendis cerebri nervis, conducente. Inſuper Maniaci furibundique cicurari, aut ullatenus pacari abſque gravibus & violentioribus, ab ipſo helleboro albo petitis, Vomitoriis nunquam poſſunt unde tam mites tractabileſque fiunt. Concidentes Apoplecticos ſæpiùs liberans ſpontaneus obveniens Vomitus ſatis docet Ventriculi cum Capite conſenſum, inanem quorundam ob ſuffocationis periculum à Vomitorio metum, & maximam ejuſdem fortioris aut etiam repetiti, in *Apoplexia* utilitatem, (niſi forſan integra via ſpiritibus jam tum ſit intercepta, vel pulſus notabiliter periculoſus debilisve adſit) quæ ſolennia aliâs, utut ſæpiùs inutilia, Clyſmata longè ſuperat, & multos, aliâs ob faucium à pituita glaciali obſeſſionem periclitantes, ex fido Practicorum relatu in vita ſervavit. Pariter, ni ſingulare quid obſtet, ſacræ velut anchoræ loco Emetica Herculea ſunt *in Epilepſia*, morbo verè dicto Herculeo, tam intra, quàm extra Paroxyſmum adhibita vel infuſa, &, præcipuè, cùm in diuturniore Paroxyſmo, antequam Ægri denuò mentis fiant compotes, mortuorum inſtar jacent, etiam repetitâ Doſi, donec operentur, cum paulò poſt ſequente quaſi evigilatione Simili ratione ſæpè conveniunt in affectibus ſoporoſis omnibus.

X V.

Inſignem itidem uſum præſtant *in variis pectoris affectibus*, ut e.g. in *Pleuritidis*, ſi ſcilicet nulla ſontica cauſa obſtet, tam primo principio pro obſtructionis reſeratione & conſequenter inflammationis progreſſu impediendo, aut coërcendo, quàm quandóque deinceps, ſi ſputum bene coctum, nimis parcum, ſeu inſufficiens, nec ſatis Ægrum levans, Vomicam, copioſo pure repletam, adeſſe indicet, non niſi Vomitus, pectus coarctantis, attollentis, concutientis ope in ægro, viribus jam tum fracto, ad ruptionem cogendam. Imò in ipſa morbi declinatione ad putridæ materiæ reliquias tantò citiùs & certiùs exprimendas, quarum præſentia virium reſtaurationem non admittit. Idem tenendum de *Peripneumonia*, quæ à Pleuritide non niſi loco affecto

& minore doloris acerbitate differt. Item in Empyemate. In *Aſthmate* humido, ſeu humoroſo dicto (pulmo tamen Pleuræ, aut Diaphragmati adnatus non ſit, ceu forſan quandóque adnata eſt in Aſthmate ſicco, tanquam nullis expectorantibus, Vomitoriis, Purgantibúſque cedente) dummodo materia peccans in bronchiorum fiſtulis ita diſpoſita, minuſque glutinoſa reddita prius ſit per commoda medicamenta, ut abſcedere & evacuari poſſit; Ægri per Vomitum efficaciter juvantur: multò magis adhuc id obtinet in Aſthmate dicto præcordiali, ubi à viſcoſis humoribus, in Ventriculo ſeu Hypochondriis contentis, cum anxietate ingruit ſuffocationis metus ut tenſo quaſi Diaphragmate reſpiratio vacillet, nec ſui juris ſit. Simile beneficium in Phthiſi, tam pulmonali quàm ſtomachali exſpectandum eſt à Vomitoriis, iis enim quandóque in uſum tractis, tam pulmo à nociva copioſioris puris, quàm Ventriculus à viſcida & acri aliorum humorum ſarcinâ feliciter liberatur ne nocere illa amplius poſſit; quod tamen non faciendum in iis qui Hæmoptoſin paſſi ſunt, quæ Vomitorii violentiâ aliâs facilè denuò excitaretur.

## X V I.

Ex Ventriculi primarúmque viarum à Vomitoriis juvamine, quod ſuprà plus ſemel innui, facilè colligitur eorum etiam uſus in *ventre infimo.* Sic in *omni Ventriculi repletione* ſive ab alimentis nimiis aut corruptis, ſive à pituita rugis ventriculi ſæpè quaſi incuneata, ſeu aliunde, orta ſit, hincque exſurgente *Inappetentiâ, Ructibus, Singultu, Sodâ, Dolore gravativo, ipſóque Vomitu* Vomitoriis nullum tutius citiúſque Medicamentum datur. *Nephritide, Arthritidéque* laborantes, qui Vere & Autumno pro retardandis mitigandíſve ſuis Paroxyſmis adſueverunt Vomitorio uti teſtari etiam poſſunt de ſuo, quod ab acore Ventriculi, partibus Arthriticis minànte, & ſic exturbato, capiunt, levamine. Quando tamen quidam in ipſo Podagræ paroxyſmo ſuadent Emetica, id cum grano ſalis eſt accipiendum, cùm quandóque Doloribus, Vigiliis, Inediâ adeò ſint fracti viribus & immobiles jacere ob dolores cogantur ut Vomitorii propinatio non ſit conſulta. Uſum ſuum etiam ſæpè præſtant in *Menſium Suppreſſione*, tam cauſam retardantem amovendo, quàm concuſſione ſua vias magis aperiendo. Tandem in partu difficili uſus eorum decantatiſſimus & fœtu præcipuè mortuo, ob validam per concitatiorem Vomituum

tuum impetum muſculorum abdominis concuſſionem quandoque proficuus eſt, quando aliis aliâs ritè ſeſe habentibus ſitus fœtus ſit legitimus, parturientiſque vires conſtent fœtus nihilominus aliis excludi renuit. Variæ tamen aliæ cautelæ huc adhuc ſpectantes apud Authores legi poſſunt.

XVII.

Poſt uſum in Morbis, perpendimus etiam *uſum in regimine, ſeu modo Emeticis utendi ſervandum ante Vomitorii operationem circa aſſumtionis tempus*, quod optimum habetur quatuor horis ante prandium. Poſt prandium vel alimenta ſumta, præcipuè humidiora, faciliùs quidem ſuccedit Vomitio, ſed præcipuè ſi adhibeatur Vomitorium in abundantia viſcoſorum humorum appactorum, in primis viis, non modò ad ejectionem ſtimulans, ſed ſimul reſolvens, attenuans ſeu præparans cum majori Euphoria, & ſanitatis profectu adhibetur jejuno ventriculo, primùm cùm non ita multo vehiculo, cujus paulò poſt aſſumtionem, & inter vomitiones ſufficiens quantitas ſemper dari debet. Hæc appactio tamen ſi non adſit Vomitorium præviis præparantibus non ita opus habet.

XVIII.

Quoad Emetici *Formam* eodem quidem res redire videtur *Liquida an Solida Forma* pro Emetico eligatur. Liquidum tamen Emeticum, ſolenni Doſi tantùm adhibitum, felicem dediſſe operationem, cum aliquo tempore poſt (ne quis credat ſicca Vomitoria antea propinata per liquidius tantùm in actum veniſſe) ſiccorum Vomitoriorum in notabiliori Doſi aſſumtionem fruſtraneam fuiſſet adhibitum, Experientia dedit.

XIX.

Sub ipſa *Emetici operatione* conſiderandum occurrit *Emeticum ipſum*. Non conſultum videtur obviis quibuſque morbis alia vel alia propinare Emetica, ne illorum varietate obruatur Medicus, quâ incertus ſit, quod hâc vel illâ occaſione præferendum ſit Emeticum adeóque indoli hujus aliuſve Emetici minus aſſueſcit. Unde præſtat pauca in uſum medicum ſeligere, at bona, pluribus ſæpiùs congrua, quæ augeri minuíque pro circumſtantiarum ratione poſſint. Sufficiens enim ejuſdem Doſis requiritur ut Purgantium in ſpecie dictorum, ne Ventriculus ab excedente Doſi per multiplicatos Vomitus Vomitui aſſueſcat, &

dein ad removendum omnia ingeſta, etiam alimenta irritetur, quod malum ad aliquot tempus aliquando durat: Contrà à deficiente Doſi ſumtâ Anxietas & Nauſea tantùm procuretur, humores moveantur, non promoveantur, difficiléſque ſi ulli ſequantur Vomitus, quibus Æger deterretur à Vomitorio imposterum adhibendo.

## X X.

Quoad *Vehiculum* ſi Liquidæ Emetici formæ jam tum adſit ſufficiens liquoris quantitas ſub aſſumtione; illud vehiculo non habet opus, ſi contrà, contra, Siccæ autem formæ Vomitorium vehiculum neceſſariò exigit, minore tamen Doſi; aliquandiu poſt verò, ut & dein' inter Vomitiones ipſas, pro lubricitandis viis, materiaque emolliendâ & exitui aptanda, vehiculum ſufficiens aptum adhibendum eſt, tepidum tamen, quia tepida tepore ſuo ſimul nauſeabunda, Vomitumque moventia, Vomitorii propinati efficaciam intendunt; id quod etiam de pinguibus, oleove ipſo, quæ communiter pro augenda & continuanda Emetici operatione adhibentur, dici poteſt. Probè tamen eſt attendendum, ne Emeticorum ſtimulus (quod quibuſdam obtingere ſolet) à pinguibus, licèt parcâ manu admiſtis, nimium hebetetur; quo in Caſu Cereviſia tenuis aliudque aquoſum decoctum aut infuſum rectius ſubſtituitur. Ejuſmodi liquorum Vomitorii dati Energiam in actum deducentium vel promoventium, ſuprà jam tum aliquam injeci mentionem, cùm de Vomitoriis impropriè ſic dictis ſermo eſſet. Ingratia, quam quidam pro intendenda in dictis vehiculis nauſeoſitate magni æſtimant, tanti non videtur eſſe æſtimanda, cùm dummodo Emeticum ſatis bonum fuerit propinatum, id, penes vehiculum ſolummodo aquoſum Vomitionibus interpoſitum, munus ſuum ſatis exſequuturum, & ingratia illa facillimè vehiculi talis omiſſioni, laborioſiores & parciores Vomitus poſt ſe trahenti, anſam ſit datura: ut taceam talis vehiculi ingratiam facilè ipſi Emetico notam ingratiæ, & Vomituum minus arridentium inurere poſſe. Aliâs præter aſſumtum ejuſmodi vehiculum promovet etiam Vomitiones digitus faucibus immiſſus (pro ſtimulando ad promtiorem contentorum exitum œſophago) oleo amygdalarum dulcium, ſi placet illitus, velut etiam eadem intentione tali pingui digito lingua infantibus ſolet com-

pri-

primi. Facilitatur itidem Vomitio poſitu corporis & maximè Capitis, ad pronum vergente, ſincipitis manu alterius ſuffultu, leni hypochondriorum compreſſione, ut facilior ventriculi ſubverſio, & minor læſio fiat, leni corporis, adeoque humorum in corpore, commotione, unde deambulatio decubitui in lecto eſt præferenda.

XXI.

Tandem *poſt Vomitorii operationem* eò allaborandum eſt, ut violento vomitionum motu exagitatus cum Oeſophago potiſſimùm Ventriculus denuò demulceatur, lacte dulci cum pane candido ſimilibuſque & debilitatus roboretur hauſtu Vini generoſioris dulcioris, humores commoti denuò ſedentur, ordinarioque curſui reſtituantur lenibus aromaticis, præcipuè tamen opiatis, exinanitæ ſucco nutritio partes ex culina cibis optimi nutrimenti, non nimia tamen copia ſimul & ſemel ingeſtis, (quæ ingeſtio ſæpius eſt recidivarum aliorumve morborum promia conda) iterum reſtaurentur.

XXII.

Sicut autem alii Medici in defectu peccant, qui nodum vel in ſcirpo invenientes vix unquam Vomitorium adhibere audent, interim Ægrum, qui Vomitorio liberari poſſet, prognoſtico, ſicuti dicitur, ſæpè relinquentes; ſic alii in exceſſu peccantes, ſolis ferè Vomitoriis morbos quoſvis curare præſumunt. Timidius ſanè ut plurimum cum multorum Ægrorum neglectu in uſum ducuntur, non tamen ideò iiſdem temerè utendum eſt, ſed ſub certis *cautelis*, quarum quaſdam in ſequentibus annotaſſe ſufficiat. *Ratione Materiæ* ea ſit mobilis ſatis, nec nimis appacta ventriculi rugis & ſulcis quàm ut diſlocari & ſurſum ferri hinc poſſit, ſive illa ab aliquo Diætæ errore, aut fermentationis læſione congeſta in ventriculo reſideat, ſive alibi vicinas partes occupet, à quibus violento vomendi conatu Ventriculum verſus exprimi, hincque ejici poſſit.

XXIII.

Porrò *Ratione Perſonarum* attendenda venit Ætas, Ægri. Infantibus, tanquam longe faciliùs, ac adulti ſolent, vomentibus, etiam in cunis jacentibus, tutò Vomitoria ſi indicentur, propinari poſſunt. Juvenilis ætas etiam cæteris correſpondentibus admittit, minus verò Senilis & decrepita. In facilè Vomenti-

tibus aut Vomitui aſſuetis fibræ motui ventriculi periſtaltico facilius obediunt; contrà difficilius obediuut in difficulter Vomentibus, ut alias cauſas taceam, ob corporis conſtitutionem, tam quoad conformationem, quàm craſſitiem, ideoque tales Vomitoriis non tentandi. Quibus enim collum breve, pectus anguſtum, malè conformatum, ſimiliſque ſpina dorſi ſit, illis ob Vomitiones difficiles periculum imminet rupturæ vaſorum pulmonalium aut intercoſtalium, procidentiæ Ani, Uteri & Herniarum præcipuè, ſi illis malis jam tum obnoxii vivant, quibus mala illa tum exaſperantur, cum conſtet, etiam à violentiore motu Hernias interdum induci poſſe. Taliter conſtituti ad dicta mala tantò ſunt proniores, ſi ſint ſimul, craſſiores carnoſiores aut corpulentiores, cùm his anguſtiores ut plurimùm eſſe ſoleant pulmones, quorum vaſis facilè ruptio inferri poteſt. Ob ſimilem rationem Emetica non conveniunt noviter impræguatis, (tantò minus ſi ad Abortum eas inclinare conſtet) ob Abortus metum, & Abdominis anguſtiam, niſi fortè Cauſa urgens adſit, & leniora minus violenter operantia offerantur, quæ ſpontanei multarum gravidarum primis menſibus Vomitus non omninò diſſuadere videntur. Longè circumſpectius eundum mediis & ultimis geſtationis temporibus. Puerperæ etiam à Vomitoriis excuſandæ, quia Ligamenta Uteri ſic facilè magis debilitarentur, vireſque dejicerentur jam tum debiles.

## X X I V.

Cautelas *Ratione Morborum* ſequentibus expediemus. Supra memini egregiæ in morbis Capitis, dolore Capitis, Vertigine, Epilepſiâ &c: Vomitoriorum efficaciæ, temperatus tamen eorum uſus ſit, præcipuè, ſi cauſa primaria in Capite lateat, hocque per ſe debile ſit, quia Circulatio ſanguinis vaſa ſuperiora verſus ſub Vomitu præpediri obſervatur, unde tum vaſa frontis & colli tumere cernuntur, & Caput in Vomitu ob ſextæ conjugationis maximam cum Ventriculo communionem habentis, nervos, plurimum afficitur. Neque adeò tuta ſunt in iis, qui oculorum doloribus & præcipuè inflammationibus, laborant, cùm Oculi, qui, tanquam ſub Vomitionibus vim paſſi, poſt Vomitorii operationem dolore quibuſdam notantur, hinc magis læduntur & Ophthalmia exaſperatur. Quod ſupra cùm de Phthiſi agerem monui, hîc repeto, Hæmoptoſin, ſeu ex ruptu-

ruptura, ſeu eroſione vaſorum orta ſit, Emetica excludere, ne hinc malum fiat deterius aut Paroxyſmus provocetur. Neque locum inveniunt in diſpoſitis ad Hæmoptoſin & Phthiſin, multò minus in Læſionibus pulmonis eſſentialibus jam tum factis, cùm mors tandem inevitabilis, ægris per ea accleraretur; niſi forſan aliqua repletionis purulentæ, ſuffocationem brevi allaturæ cauſa adſit, quo de Caſu etiam ſuprà. Lipothymiæ adſuetis, aut ad eam diſpoſitis, Vomitoria non facilè exhibenda, cùm Paroxyſmus hinc ſtatim illis excitetur. Alia verò ratio eſt cùm affectus illius cauſa in Ventriculo viciniſve partibus continetur; tum Emetica omninò conveniunt. In Eroſione Ventriculi, ubi omnia aſſumta tum mox rejiciuntur prodeſſe non poſſunt, quia multò minus ſtimulantia Emetica ferret, majorem noxam tantùm conciliatura ventriculo, poſcenti potiùs demulcentia & præcipitantia humorum acredinem. Abdominis affectibus convulſivis, habitualibus obnoxii, ut Hyſterica paſſione correptæ fœminæ, item Viri, Colicâ habituali non humeroſâ laborantes, Vomitoriis etiam non facilè, niſi alia cauſa prævalens ea exigat, inquietandi ſunt, cùm malum hinc revocetur, Paroxyſmuſque renovetur. Noxia plurimùm eſſe Emetica in procidentiis Ani & Uteri, item in Herniis paulò ante jam tum memini, quia major verſus inferiora fit propulſio. Ægris tandem, quibus vel longitudine morbi cujuſcunque, aut doloribus, vires planè fractæ ſunt, Vomitoria omninò ſunt abnuenda.

X X V.

Denique cùm Theſes noſtræ jam tum ultrà præfixos limites præter opinionem ſub manu ſe extenderint, & nihilominus unum alterumve *Vomitorium* apponendum ſit, ſufficiet ex immenſa eorum farragine & quidem duntaxat è regno minerali ſeligere pro *forma ſolida Sulphur auratum Antimonii* cujus præparationem & præ aliis, hactenus nobis cognitis Vomitoriis ſingularem prærogativam ſatis prolixè edocet *Jungken in notis ad notas Agricolæ in Poppium pag. 102. q. v. Item Salis Vitrioli* ℈j. *l.* ʒß. *aut loco hujus Vitrioli alb.* ℈j. *l.* ʒß. In Pilulas mediante ſucco Glytyrrh. redacta. Non enim talia Vitriolata, tanquam maximè ſalubria, merentur illud noxæ nomen quod quidam ipſis attribuunt, ceu hoc tempore feliciſſimi quidam Practici iiſdem cum ſummo ſucceſſu utuntur. Eadem Medicamenta facilè pro *forma* liquida etiam

etiam informari poſſunt; ſcil. Sulphur auratum Antimonii extrahi poteſt cum Spiritu vini in Tincturam, dandam ad gutt. vj. viij. & plures in commodo vehiculo. De Sale Vitrioli uſuale Celeberrimi cujuſdam dum viveret, Practici, addo Vomitorium, quod aliis, præcipuè cùm ſaburra potiſſimùm in Ventriculo & primis viis hæreret longè præferebat. ℞. Sal. Vitrioli ex Capite mortuo ʒß. ſyrup. acetos. ſimpl. Aq. chamom. ana ℥j. M. Aſſumatur cum cereviſia tenui calente cujus dein pro promovendo Vomitu plus pro vehiculo ſumi poteſt. Porrò Vitrioli alb. ſummè depurati ℈j. ſolvatur in ſ. q. Aq. hordei, ſimiliſve alius, optatiſſimi effectus erit Vomitorium.

XXVI.

Si tamen occaſione Cauſæ, alicujus accidentariæ orta fuerit Hyperemeſis, hauſtus Vini generoſioris apprimè inſerviet, qui, licèt prima vice revomatur, denuò tamen propinatus poſt breve tempus Vomitum egregiè prohibet: item opiata tanquam ſenſum obtundentia & cum aromaticis conjuncta: egregiè etiam convenit ſpiritus theriacal. vel ſola etiam theriaca in Vino generoſo calido ſumta. Et ſic Bono cum Deo Theſibus noſtris imponimus.

F I N E M.